

Scheibe,  
Medicus  
utriusque  
sexus  
ad Just.  
h. M. G. G. G. G.

1741.



M

IV

CAR

AP





M E D I C V S  
V T R I V S Q V E S E X V S

A D

I V S T I N I A N I L . I I I . C . C O M M  
D E L E G A T

I L L V S T R A T V S

A

C A R O L O A V G V S T O S C H E I B I O  
Z I T T A V . L V S . M . C



---

L I P S I A E ,  
A P V D V I D V A M I . G . B Ü S C H E L I I ,  
M D C C L X X X I .

Ma 1738



EX  
GO  
MI

CA

C

tia a  
animo  
fectum  
quum  
nos an  
dies e  
tatem  
mus,  
solum  
cui ne  
contub  
vfi fun  
sumos ;



VIRO  
EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
GOTTL. FRID. RICHTERO

MEDICINAE DOCTORI AC ZITTAVIENSIS CI-  
VITATIS MEDICO OBSTETRICIO NVPER  
CONSTITVTO

S. D. P.

CAROLVS AVGVSTVS SCHEIBIVS.

**C**ui potius quam *TIBI* hunc qualem-  
cunque libellum, omni quidem elegan-  
tia atque ornatu destitutum prorsus, at ex  
animo integerrimo *TIBI*que deditissimo pro-  
fectum, *TVO*que nomini inscriptum, tradam;  
quum permultos ante annos contractam inter  
nos amicitiam sartam tectamque servare, et in-  
dies eam magis magisque augere propter suavi-  
tatem aequae ac utilitatem, quam ex ea percepi-  
mus, indefesso studio allaborauimus. Non  
solum enim idem litterarum doctrinae genus,  
cui nos dicauimus consecrauimusque, idemque  
contubernium, quo per plurimos abhinc annos  
vsi sumus familiarissime, nos reddidit coniunctis-  
simos; sed et animi *TVI* candor ac integritas,  
A 2 quam

quam semper non sine admiratione suspexi, me  
 ita TIBI conciliauit, ut magnam in eo felici-  
 tatis humanae partem, quae prorsus nulla cen-  
 senda esset, si dulcibus amicorum colloquiis ju-  
 cundaque eorum priuaremur consuetudine, col-  
 locauerim. Quae ipsa amicitia, sensu laetitiae  
 liquido impraegnata, maiora capere incrementa  
 et ad tantam magnitudinem jam progredi vide-  
 tur, ut sese non continere patiatur, sed proderet  
 velit euentissima documenta singularis illius  
 amoris, quo TE hucusque complecti mihi li-  
 cuit. Nam qui fieri possit, ut ego sileam,  
 quum TE non solum doctoris gradu ornatum  
 decoratumque salutare possim, sed etiam TIBI  
 de muneris in te collati grauitate ac dignitate  
 fausta quaeuis teneat precari. Probe autem  
 quum intellegerem me non esse eum, qui officio  
 hoc ita defungi possit, ut TVAE expectationi  
 et mutuo satisfiat amori, illud medico meo  
 vtriusque sexus iniunxi, ut TE compellat,  
 meoque nomine TIBI declaret, animum meum  
 tam mirifice esse, et ob honores promeritos, et ob  
 praef  
 nificen  
 missan  
 nere,  
 tamen  
 Admi  
 que u  
 mea v  
 rimun  
 ctum e  
 affectu  
 animo  
 riserit  
 monea  
 ipseus  
 quum  
 dam p  
 medic  
 que op  
 tudiner  
 auctam  
 aegris  
 praef



praefecturam artis obstetriciae, *TIBI* ex munificentia amplissimi Senatus Zittaviensis commissam, affectum, ut, si incredibili orationis genere, ac ingenio paene diuino praeditus essem, tamen orando complecti gaudium minime queam. Admittas igitur illum pro me dicentem, facilesque illi, precor, praebeas aures, et, si quid mea valent apud *TE* vota, valebunt autem plurimum, ipsum in *TUAM* recipias tutelam; afflictum enim senties quam maxime, atque iniuria affectum, erigas velim depressum, bonoque esse animo jubeas, et, si ipsi mea defensio neque ariserit, neque profuerit, illum amicissime admoneas rogo, ipsique dicas, meam voluntatem ipsius commodis aliquo saltem modo inseruiendi, quum viribus destitui videar, non esse improbandam penitus. Praeterea meo sexus vtriusque medico imperavi, ut *TUI* gerat curam, suaque opera studiisque vacillantem *TUAM* valetudinem fulciat, sultam firmet, firmatam augeat, cunctamque felicissimam esse jubeat, sic enim aegris salutem afferes, quamplurimis vitam pro-

A 3

longa-

longabis, grauidas solatio eriges, easque ita  
 TVO auxilio exhilarabis, ut TE praedicare  
 felicissimum, deque TVAE salutis et incolumita-  
 tis perpetuitate aeternum numen ardentissimis  
 precari votis ne ullo quidem desinent tempore.  
 Quod reliquum est, hoc abs TE peto, ut, et dis-  
 cessum ab hac dulcissima Musarum sede parans,  
 animo TVO a me discedas nequaquam, sed mei  
 memoriam comitem TVAM esse jubeas ubique,  
 meque TIBI semper habeas commendatissimum  
 amicissimumque. Scr. Lips. d. XXI. Jun. A.  
 R. S. CICIDCCCLXXXI.

---

MEDI-

MI

N

ad q  
tion

HEN

quip

detr

re,

dios

nisus

si tar

tur,

amic

med

quos


RVM

1) I

2) I

3) V





# MEDICVS VTRIVSQUE SEXVS.

---

## §. I.

### *Consilium scriptiois.*

**M**agni sane fuit momenti illa controuersia olim agitata feruide et acriter de medicorum apud veteres Romanos, ad quos et obstetrices quidam retulere, conditione, cuiusque auctor, vti quidem videtur, HENR. CORN. AGRIPPA <sup>1)</sup>, fuisse perhibetur, quippe qui omni studio medicorum honoribus detrahere, artisque salutaris dignitatem imminuere, etsi fieri potuisset, illius corruscantes radios, a Phoebos ipso acceptos, extinguere ananisus est. Prouti autem fieri solet, vt omnia, si tantummodo nouitate quadam commendentur, etsi alias sint ineptissima, suos nanciscantur amicos ac patronos, sic quoque ficta illa totius medicinae conditio defensores consequuta est, quos nominare sufficiet, videlicet TH. DEMPSTERVM <sup>2)</sup>, ANT. BORREMANNVM <sup>3)</sup>, IOH. GOTTL.

A 4

HEI-

1) De incertitudine et vanitate scientiar. c. 82. sqq.

2) In not. ad Rosini Antiquitt. Rom. L. II. c. 17.

3) Varr. lectt. c. 15. p. 178. sqq.

HEINECCIUM <sup>4)</sup>, AEGIDIUM MENAGIUM <sup>5)</sup>,  
 LAUR. PIGNORIVM <sup>6)</sup>, SAM. PITISCVM <sup>7)</sup>, AL.  
 RVD. VAN WAAY <sup>8)</sup>, alios. Hisce tamen sese  
 opposuerunt strenue et ingenue DAN. VIN-  
 KIVS <sup>9)</sup>, DAN. CLERICVS <sup>10)</sup>, LVD. CHRIST.  
 CRELLIVS <sup>11)</sup>, CHRISTO. WOLLIVS <sup>12)</sup>, IOH.  
 HENR. MEIBOMIVS <sup>13)</sup>, SAL. CELLARIVS <sup>14)</sup>,  
 IOS. LAVRENTIVS <sup>15)</sup>, alii. Per septuaginta  
 dein annos omnia de hoc dissensu pacata fuere,  
 nisi quod in Belgio iterum lis excitata breui  
 tempore componeretur. Tandem in Anglia  
 FRANC.

- 4) In Antiquitt. Rom. Iprud. illustr. L. I. Tit. XV.  
 p. 252. sqq.
- 5) In Iuris ciuil. amoenit. c. 35. p. 229.
- 6) Comm. de feruis, p. 71.
- 7) In Not. ad Sueton. Caes. c. 4. et in Lexico An-  
 tiqq. Rom. voce Medicus.
- 8) In. diss. ad L. XXVI.  $\pi$ . de operis libertorum.
- 9) Amoenit. philologico-med. Sect. III. c. 6. §. 1.  
 p. 434.
- 10) Hist. de la Medecine P. III, L. I. cap. 2. pag. 16.  
 sqq.
- 11) In diss. de Antonio Musa, Augusti Imp. Medi-  
 co §. 6.
- 12) De honoribus medicorum apud vet. §. 21. sqq.
- 13) Comm. in Magni Aur. Cassiodori formulam co-  
 mitis archiatror. p. 10. sqq.
- 14) De origg. et antiquitt. Med. c. VI. §. 3. sqq. cf.  
 Cph. Cellarii dissertt. acad. p. 264.
- 15) In Iac. Gronouii Thes. Antiquitt. Grr. T. IX.  
 p. 625.



FRANC. ROBORTELLVS<sup>16)</sup> denuo controuer-  
 siam reduxit, cui tamen LAEVIN TORREN-  
 TIVS<sup>17)</sup> et FVLV. VRSINVS<sup>18)</sup> mascule sese op-  
 posuerunt, ISAAC CASAVBONVS<sup>19)</sup> autem pe-  
 nitus ipsam confecit. Gliscentes vero sub cine-  
 ribus scintillae huius contentionis rursus stu-  
 dio FRID. BOECKELMANNI<sup>20)</sup> Lugduni Bata-  
 vorum excitatae magno cum fragore erupere,  
 ille siquidem oratione habita medicos obiter  
 perstrinxerat. Iussu igitur medicorum CAR.  
 DRELINCVRTIVS<sup>21)</sup> causam oratione Lugd. Bat.  
 CIOIOCLXXI. habita defendendam sustinuit.  
 Sed quinque annis post Lugduni Batauorum li-  
 bellus inscriptus: *Medicus Romanus seruus sexa-*  
*ginta solidis aestimatus*<sup>22)</sup>, cuius auctor aequae  
 BOECKELMANNVS fuisse perhibetur, prodiit.  
 Per dimidium dein seculum nulli exstitero mo-  
 tus, donec in Magna Britannia de nouo lis in-  
 ciperet;

A 5

16) Gottl. Stollii Hist. der Gelahr. p. 120.

17) In Comm. ad Sueton. Caesar. p. 708.

18) In Fragmm. historicorum ab Ant. Augustino col-  
 lectis, Antw. 1595 p. 464.

19) Ad locum Suetonii laud.

20) In orat. qua medicos sexcentos annos Roma  
 pulsos asseruerat.21) In apologia medica, qua depellitur illa calumnia  
 medicos sexcentis annis Roma exulasse, L. B. 1621,  
 2da ed. 1672.22) Prodiit Lugduni Batau. 1671, iterum 1681. re-  
 cusus cum Ioh. Frid. Iugleri libello de nundina-  
 tione seruorum apud vett. Lips. 1748.



ciperet; nam RICH. MEADIVS <sup>23)</sup> anno  
 CIOIOCCXXIII. oratione in GVIL. HARVAEI  
 memoriam habita honores medicinae eleganter  
 defendit, et publici juris cum *disquisitione de*  
*medicis antiquo Smyrnaeorum argento aereque*  
*celebratis* illam fecit orationem. Vix autem scri-  
 ptum hoc prodierat, quum in Anglia CONYERS  
 MIDDLETONIVS <sup>24)</sup> illud impugnare tentaret,  
 atque biennio post reuera publice aduersaretur.  
 At reperti sunt viri grauiissimi, qui omnibus mo-  
 dis MIDDLETONII stratagemata irrita studue-  
 runt reddere, vnde potissimum Triumviri, sup-  
 pressis tamen nominibus, *notas breues, respon-*  
*sionem*, atque *animaduersiones* consignarunt li-  
 teris, quibus tamen opposuit MIDDLETO-  
 NIVS <sup>25)</sup> sese. Dubenii etiam, quod est oppi-  
 dum prope Lipsiam, IOH. CHRIST. WOLFIUS <sup>26)</sup>  
 et

23) In Orat. anniuersaria Harueiana; in theatro  
 regii medicorum Londinensium collegii habita ad  
 d. XVIII. O&. CIOIOCCXXIII. Adiecta est diff.  
 de nummis quibusdam a Smyrnais in medicorum  
 honorem percussis, Lond. 1724. recusa L. B. 1725.

24) In libro, de medicorum apud vet. Romanos  
 degentium conditione, quo contra viros Cell. Iac.  
 Sponium et Rich. Meadium feruilem eam fuisse  
 ostenditur, Cantabr. 1726.

25) In dissertationis de medicorum Romae degen-  
 tium conditione ignobili et feruili, contra ano-  
 nymos quosdam notarum breuium, responsionis  
 atque animaduersionis auctores, defensione, Canta-  
 brig. 1727. Part. I.

26) In Apologia medicorum laudata in Nouell. litt.  
 Lips. 1727. sed non typis exscripta.



et IOH. WARDIVS <sup>27)</sup> Londini, aciem aduersus MIDDLETONIVM instruere voluerunt. Tandem de pace restituenda cogitavit CAR. LA MOTTE <sup>28)</sup>, atque in Anglia bellum illud literarium exstinxit. In Belgio postea DAN. VINKIVS <sup>29)</sup> et in Germania IOH. HENR. SCHVLZIVS <sup>30)</sup>, patroni causae medicorum exstiterunt, ipsorumque rationibus ita consuluerunt, vt per longum tempus omnia pacata esse viderentur. Igitur IVL. CAR. SCHLAEGERVS <sup>31)</sup> historiam huius controuersiae fusius, atque curatius contexuit. Itaque per plurimos annos illa composita ac quasi sepulta fuit: at eandem reuocatam, resuscitatam ac denuo anno MDCCCLXXIX. in Italia agitatam ex *Commentariis de rebus in scientia naturali et medicina gestis* cognouimus <sup>32)</sup>; BIANCONIVS <sup>33)</sup> enim tacite

- 27) In dissertationis Middletonii de medicorum Romae degentium conditione ignobili ac seruili defensione examinata, quae tamen ex Nou. litt. Lips. 1728. p. 606. relatione numquam prodiit.
- 28) In an Essay vpon the state et condition of Physicians among the ancients. Lond. 1728.
- 29) In Amoenitt. philologico-med. p. 528.
- 30) In Excurfione in antiquitates ad serui Medici apud Graecos et Romanos conditionem eruendam. Hal. 1753.
- 31) In Historia litis de medicorum apud vett. Romanos degentium conditione. Helmst. 1740.
- 32) Vol. XXIV. Part. II. 1781. p. 353. in not. \*
- 33) In Sendschreiben über den Celsus, im 8. Sendschreiben.



tacite hoc innuit de magni nominis medicis data occasione verba faciens, et ex M. IOS. BENVENUTI<sup>34)</sup> singularis libelli recensione intelleximus: quum autem is liber in nostras manus nondum peruenerit, et summa huius contentionis in interpretatione legis Iustinianae versetur, missis reliquis argumentis ea super hac re pro modulo virium proferre conamur, quae aliquid ponderis habere nobis visa sunt.

## §. II.

### *Interpretatio legis Iustinianae.*

Qualis autem medicus vtriusque sexus sit, dum demum, si verum et genuinum sensum verborum legis, quae huc potissimum spectant, cetera siquidem non curamus, eruendo euoluerimus, patebit optime; vnde ipsum audiamus IUSTINIANI<sup>35)</sup> edictum: *Sancimus in omnibus huiusmodi casibus rei iudicem fortunam esse, et sortem inter altercantes adhibendam: ut quem fors praetulerit, is quidem habeat potestatem eligendi, caeteris autem aestimationem praestet contingentium eius partium, id est, seruis quidem et ancillis maioribus decem annis, si sine arte sunt, viginti solidis aestimandis: minoribus vero decem annis, non amplius quam in decem solidos*

34) Eius libellus della condizione de' medici presso gli antichi, Pereuse et Romae, apud Settarium, 1779. prodit.

35) L. III. C. Comm. de Legat.



*solidos computandis. Sin autem artifices sunt, usque ad triginta solidos aestimatione eorum procedente, siue masculi, siue feminae sint: exceptis Notariis et Medicis vtriusque sexus; quum Notarios quinquaginta solidis aestimari velimus, Medicos autem et obstetrices sexaginta, etc.* Legis verba si spectamus, quae ad rem nostram praeprimis faciunt, medicus vtriusque sexus ad *artifices* refertur, qua denominatione nihil aliud innuitur, quam medicum Iustiniani ex regulis artis exercuisse medicinam, quem vulgo praedicum vocamus. Is medicus dicitur siue *masculus*, siue *femina*, *seruus* et *ancilla*, *medicus* et *obstetrix*, quae nomina eandem prorsus rem in Iustiniani edicto designare videntur. Hac quidem ratione de nobis actum esset, nam aperte de medicis seruili conditioni addictis loquitur Imperator. Concedimus sane vltro Romanos in suis familiis habuisse multos, qui licet medicinam exercuerint, locum tamen seruitutis tenuerint inhonestum: sed non exinde colligendum est, omnes omnino medicos, seruos, vniuersamque obstetricum cohortem ancillas fuisse. Egrege enim falluntur, et misere impingunt in regulas logicas et juris, qui leges speciales ad omnes pertinere contendunt, nam in dialectica instruimur a particulari ad vniuersale non valere consequentiam; et in regulis juris haec duo etiam probe sunt consideranda, primum, posito vno non tolli et negari alterum, alterum, exceptiones in omnibus legibus



legibus locum habere. Vnde inferimus primum quod concernit, et medicos fuisse et seruos, et ingenuos, prius probat haec lex, posterius idem IUSTINIANVS <sup>36)</sup> coniungens medicos cum aliis, qui ad ingenuos referebantur: *Item Romae Grammatici, Rhetores et Medici, qui in patria sua has artes exercent — a tutela et cura habent vacationem.* Quis quaeso autem probare aut asserere saltem audeat, vel Grammaticos et Rhetores fuisse seruos, vel seruis quoddam jure Romano competiisse jus tutelae et curae? Antiquitatum Romanarum ignarissimus et expertissimus is esset censendus, qui eo infaniae progressus tale quid statuatur, solusque VIPIANVS <sup>37)</sup> omnem super hac re dubitationem ex animo penitus potest euellere, docens, *seruos jure ciuili pro nullis haberi.* Sed idem IUSTINIANVS <sup>38)</sup> excipere medicos quosdam ab hac lege iubet: *praeterea, si medicus qui seruum tuum secuit, dereliquerit curationem eius et ob id mortuus fuerit seruus, culpa reus erit.* Si omnes medici Romani serui fuerint, cogitur ex his verbis, eos ne debuissent et ne potuissent quidem derelinquere alios seruos ipsorum curae traditos, propter dominium heris suis concessum, quo vi ad officia erant adigendi

36) L. I. Tit. XXV. Instit. de excus. Tut. vel curat. §. 15. et Theophilum ad h. l. p. 110.

37) De regulis Iur. §. 32.

38) Institut. L. IV. Tit. III. §. 6.

gen  
reus  
fit  
ritia  
dicu  
secu  
rit.  
sem  
obti  
fus  
stitu  
tus,  
citu  
se c  
omn

vltr  
veri  
re p  
hic  
ces  
tuur  
esse  
star  
hern

39)  
40)  
T



gendi. Sic quoque ex *Lege Aquilia* <sup>39)</sup> culpa reus, quae in liberos tantum cadit, peccato suo fit medicus; quod haec verba innuunt: *Imperitia quoque culpa adnumeratur, veluti si medicus ideo seruum tuum occiderit, quia male eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit.* Ergo quoque actio legis Aquiliae, quae semper est ex delicto vero, hic in quasi delicto, obtinet locum, qua vero ratione actio aduersus seruum, qui pro nullo habetur, possit institui non video, quum non imperio magistratus, sed domini subsit voluntati. Vnde efficitur medicos Romanos non omnes seruilis fuisse conditionis, adeoque hanc legem non sine omni exceptione esse accipiendam.

### §. III.

#### *Medicus utriusque sexus qualis.*

Differre medicum nostrum ab aliis medicis vltro nobis vnusquisque concedet, qui cogitauerit, adiectas voces *utriusque sexus* a legislatore prudentissimo non absque causa et precario hic conspici. Ambiguitate autem laborare voces *utriusque sexus*, quae discrimen constituunt, videntur; primo siquidem obtutu potest esse medicus talis, qui Tiresiae <sup>40)</sup> vatis ad instar vtrumque expertus sexum, aut, qui fuit hermaphroditus siue androgynus, aut demum  
qui

39) Ibid. §. 7.

40) Vide Hyginum, Fab. 69 et 75. et Phlegontis Tralliani Opuse. c. 4.



qui artis salutaris praesidio et masculis et mulieribus inferuire voluit quam maxime. Verum vagas et latius patentes has dictiones ipse IUSTINIANVS explicat, *masculos et feminas, seruos, ancillas ac obstetrices* nominans, de causa certe nostra actum esset, si omnes medici tales fuerint, quales a Iustiniano in hac recensentur lege. Sed non solum Iustinianus disertis verbis in locis §. II. laudatis docuit inter medicos ipsos apud veteres magnum intercessisse discrimen, et res ipsa loquitur, et antiquitates, quibus omnis fides est habenda, luculentissimis testimoniis commonstrant, atque ex monumentis satis superque euincunt. Quemadmodum enim Iustinianus medicos in vniuersum appellat, sic is vim inferret haud dubie minus exigam Imperatoris verbis, statuendo, indicari talem, qui non partem medicinae excoluit, sed vniuersam sibi quodlibet morbi genus sanandi comparauit scientiam, et qualis fuit CLAVDIVS AGATHEMERVS, de quibus *marmora Oxoniensia* 41) sic habent.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΙΗΤΗΡ ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ ΕΝΤΑ-  
 ΔΕ ΚΕΙΤΑΙ  
 ΠΑΝΤΟΙΗΣ ΔΕΔΩΩΣ ΚΡΑΙΠΝΟΝ ΑΚΕ-  
 ΣΜΑ ΝΟΣΟΥ  
 ΞΥΝΟΝ ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΟΙ ΚΑΙ ΜΥΡΤΑΛΕΙ-  
 ΣΑ ΣΥΝΕΥΝΩ  
 ΜΝΗΜΑ ΜΕΤ' ΕΥΣΕΒΕΩΝ ΔΕΣΜΕΝΕΝ  
 ΕΛΥΣΙΟΙ

*Claudius*

41) In Marq. Gudii Inscriptt. ΙΘΘΘΘΧΙΙΙ. 4.

Nam  
 cogn  
 lissim  
 struct  
 tis vi  
 nioni  
 se fir  
 quale  
 fueru  
 scrips  
 rem  
 aptum  
 causa  
 'H δὲ  
 νόσου  
 τα δ'  
 μῶν ἰ  
 ὀδόντε  
 νέων  
 est dis

42) In



*Claudius Agathemerus medicus hic jaceo  
omnigeni qui cognoueram praesentissimum re-  
medium morbi,  
commune hoc mihi est, et quae Myrtalae  
coniugi  
monumentum, cum piis autem nos sumus in  
Elyfio.*

Nam talem amplissimam rerum medicarum cognitionem quomodo seruus, subsidiis nobilissimis destitutus, neque magno apparatu instructus chirurgico, consequi potuerit, argumentis vix est euincendum. Itaque ei faueo opinioni, medicos in hac lege commemoratos fuisse singulorum morborum medicos singulos, quales apud Aegyptios olim fuere, et cui consuetudini Graeci Romanique eo lubentius subscripserunt, quo magis intellegebant, hunc morem proficuum morbisque sanandis apprime aptum esse. Inprimis huiusce rei probandae causa prouoco ad HERODOTVM <sup>42)</sup> dicentem: Ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τὰδε σφί δέδασαι. Μιῆς νόσου ἕκαστος ἰητρός ἐστὶ, καὶ οὐ πλεόνων. Πάντα δ' ἰητρῶν ἐστὶ πλέα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατασέασι, οἱ δὲ κεφαλῆς, οἱ δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ τῶν κατὰ γῆδυν, οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νόσων. *Medicina apud eos hunc in modum est distributa, ut singulorum sint morborum medici,*

42) In Euterpe L. II. 74. p. 141.



*di i, non plurium. Itaque omnia referta sunt medicis. Alii enim sunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alui partium, alii morborum occultorum. Graecos huic ritui sese accommodasse vberius probat WESSELINGIVS<sup>43)</sup>, tandemque Romani fauerunt quoque huic consuetudini; quare MARTIALIS<sup>44)</sup> sic cecinit:*

*Totis, Galle, jubes tibi me seruire diebus,  
Et per Auentinum ter quaterque ire tuum.  
Eximit aut reficit dentem Cassellius aegrum,  
Infestos oculis vris Higyne pilos,  
Non secat et tollit stillantem Fannius vuam,  
Tristia seruorum stigmata debet Heros,  
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.*

*Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?*

Quod et confirmat SCRIBONIVS LARGVS<sup>45)</sup>, multos, ait, animaduertimus vnus partis sanandi scientia medici plenum nomen consequutos. Igitur singulorum morborum medicos seruilis conditionis quosdam fuisse haud inficior, nihilo tamen secius temerarium foret et aduersus omnis historia antiquitatisque fidem peccaremus, si asserere velimus, omnes omnino medi-

43) Obs. de veterum medicis oculariis in Vol. III. Act. Societ. Lat. Ien. p. 48.

44) Epigr. Libr. X. epigr. 57.

45) De composit. medicam. in praef. p. 5.

cos  
VIR  
gent  
et an  
mos.  
M. I  
nam  
ratur  
sus a  
lio, s  
de r  
CEL  
matis  
non  
tot ta  
de in  
tum  
seruis  
nis c  
46) H  
P. II  
47) D  
c. 4  
48) V  
fuffe  
la M  
ayen  
curi



cos fuisse seruos. Libros enim CICERONIS, VIRGILII, HORATHI, OVIDII, aliorumque legentibus non obscurum esse potest, hos viros et artis medicae et medicorum fuisse amantissimos. Quid quod *Archagathum* L. Aemilio et M. Liuii COSS. Romam venisse, ibi medicinam exercuisse et ciuitatis iure fuisse condecoratum ex PLINIO *Secundo* <sup>46)</sup> constat. Morosus adeo CATO <sup>47)</sup> commentarium, quo *mederi filio, seruis, familiaribus* voluit, conscripsit. Quid de THEMISONE, ANTONIO MVSA, atque CELSO dicam ab Imperatore AVGVSTO ita admatris, vt eorum consiliis, ope, familiaritate non vteretur solum saepissime, sed etiam eos tot tantisque afficeret honoribus, quos optime de imperio, patria et ciuitate merentibus tantummodo conferuntur. Ergo non tantum a seruis <sup>48)</sup>, sed etiam a liberis et a ciuibus Romanis culta, exercita et ad summum laudis fastigium

B 2

46) Hist. Nat. L. XIX. c. 1. le Clerc Hist. de la Med. P. II. L. III. c. 1. p. 382.

47) De R. R. c. 156. 157. 160. Plin. H. N. L. XIX. c. 4. et 8.

48) V. Sponium in diff. qu'il n'est pas vray, que ce fussent seulement des esclaves, qui pratiquassent la Medecine à Rome, ni que les Medecins en aient jamais été bannis. Exstat in Recherches curieuses d'antiquité, p. 149.

gium euecta est ars medica. Diuinus PLATO<sup>49)</sup> scriptum reliquit, medicos, et liberos, et seruos fuisse, et posteriores *ὑπὸ γέρας* priorum. Ingenuos autem viros L. Arruntium Sempronianum, C. Calpurnium et L. Fontejum Fortem<sup>50)</sup> lapidum inscriptiones produnt. Neque haec nobis sufficere videntur ad rem nostram stabiliendam fulciendamque, plura etenim etiamnum producere possumus rei nostrae fauentia. IVSTINIANI<sup>51)</sup> siquidem temporibus certum numerum medicorum ordinario- rum Romae degisse atque collegium quoddam, ab ordine conductum, constituissè, ex his verbis patet: *medici, qui in patria sua has artes excercent, et* INTRA NUMERVM SVNT; et adeo scholam medicorum Romae<sup>52)</sup> floruisse inscriptio Romae ad D. Sebastiani reperta commonstrat:

M. LIVIO CELSO TABVLARIO  
SCHOLAE MEDICORVM  
M. LIVIVS EVTYCHVS  
ARCHIATROS OLL. D. II  
INFR. PED. IIII

Huic

49) Plato de Legib. L.IV. p. 720.

50) V. Th. Reinesii Syntagma inscriptt. antiqq. Cl. XI. n. 3 et 4. et Iani Gruteri Corp. Inscriptt. p. 634. n. 1.

51) Instit. L. I. Tit. 25. §. 15.

52) Vide Hier. Mercurial, de arte Gymnast. L. I. c. 7. p. 27.

Hu  
cur  
mar

et in

Qui  
fine  
CHI  
diue  
viro53)  
Li

54)

55)

56)

M  
cip  
Go  
eo  
da



Huic scholae praefectus constitutus est, qui *decurio medicorum*, et *supramedicos* dicitur in hoc marmore <sup>53)</sup>

M. *Liuius*

BOETH*ius*

DEC*urio*

MEDICORUM

et in isto <sup>54)</sup>

M. LIVIVS

LIVIAE. L. ORESTES

SVPRA MEDICOS

Quibus nominibus *archiatros* appellatos non sine ratione arbitratur I. ERN. IMMAN. WALCHIVS <sup>55)</sup>. Quamquam autem de archiatis in diuersas abeant partes doctissimorum sententiae virorum <sup>56)</sup>, tamen vti WALCHIVS probe suspi-

B 3

catur,

53) V. GORII columbarium libertorum et seruorum Liuiae Augustae p. 121. N. LXXV.

54) Ibid. p. 122. N. LXXVI.

55) Vide Sigillum medici ocularii Rom. p. 9. not. g.

56) Sic Annibal. de Abatibus Oliuerius in nott. ad Marm. Pisaur. p. 152. archiatros medicorum principes dictos vult, consentiente Pignorio de feruis. Gothofredus ad l. 4 C. Theod. de med. et prof. eos sic appellatos censet, qui vel principi operam dabant, vel in principibus vrbibus, Roma nimirum

catur, fuerunt tamen ii publica auctoritate a decurionibus electi, legitime constituti et salario publico honorati, a quibus *parabolani* et *periodeutae*, aliique distincti fuere, qui suo periculo exercebant medicinam, et quorum conditionem functionesque jam fusius explicare super vacuum esse videtur. Quos quidem archiatros nemo sana incorruptaque praeditus mente feruos fuisse adstruere audebit, praeprimis quum in *Codice Theodosiano* <sup>57)</sup> medicorum ordini multas neque contemnendas immunitates ex decretis Imperatorum *VESPASIANI* <sup>58)</sup>, *HADRARIANI* <sup>59)</sup>, *ANTONINI PII* <sup>60)</sup>, *CONSTANTINI MAGNI* ET *IULIANI* <sup>61)</sup> esse concessas cognoscamus,

rum et Constantinopoli medicinam facitabant. Fabrettus vero in inscr. dom. c. 4. p. 301. existimat, archiatros vel medicos absolute eos ferme dictos fuisse, qui non medici partiales essent, sed vniuersam medicinam exercerent et callerent, quum archiatri expressi distinguantur in libro 6. C. de profess. ibi: medicos et maxime archiatros.

57) Integer de his exstat Titulus in Cod. Theodos. L. XIII. Tit. III. de medic. et prof. Tom. V. p. 39. vbi simul docetur et inter ipsos archiatros magnum intercessisse discrimen, et virgines Vestales etiam singulos suos habuisse medicos.

58) Leg. vlt. §. vlt. π. de muner. et honor.

59) Leg. 6. §. 2. π. de excusat.

60) L. 6. Cod. de profess. et med.

61) In Opp. p. 398. B.



mus, quae non nisi ingenuis et maxime honoris cultu deuenerandis debentur viris. Itaque quae hucusque a nobis prodita disputataque sunt, eo potissimum consilio dicta sunt, vt cognoscamus atque perspiciamus, et temporibus antiquissimis conditionem medicorum in Romana republica fuisse diuersam, ingenuos eam coluisse, libertos ipsi operam nauasse, sed etiam seruos arti medicae, praepriis vilioribus functionibus peragendis, suum consecrassse studium, et omnem in ea propemodum consumsisse operam. Sed et heros ipsos pro suo erga medicinam amore in sua familia aegris, quid quod et seruis aegrotantibus opem tulisse non insulsum ineptumque, sed veritati consentaneum esse, aut saltem proxime accedere videtur.

#### §. IV.

*Obstetrices ad medicos utriusque sexus pertinere.*

In lege Iustiniana pari passu cum medicis ambulant obstetrices, easque et seruilis fuisse conditionis Legislator disertis innuit verbis: at non in vniuersum haec de omnibus pronuntiasse Iustinianum obstetricibus, quilibet mihi largietur vltro, qui aequa lance conditionem obstetricum in antiquissimis ponderauerit temporibus, et qui in earum originem inquisuerit cu-

ratius. Iam nihil dicere attinet de obstetricibus Aegyptiorum a scriptoribus codicis sacri commemoratis, et propter religionem commendatis quam maxime. Harum conditionis penitius cognoscendae cupidos amando ad GOTTL. FRID. GVDII <sup>62)</sup>, IOH. FRID. WEISENBORNII <sup>63)</sup>, FRID. GVIL. KRAFTII <sup>64)</sup>, et ZACH. PLATNERI <sup>65)</sup> peculiare de hoc argumento libellos. Cardo potius causae nostrae in eo vertitur, vt demonstremus, nobiliores etiam feminas artis obstetriciae et fuisse studiosissimas, et vere illam exercuisse. Incunabula huius artis inquirentibus statim sese offerunt leges Atheniensium, quibus cautum fuit, vt viri tantum artem obstetriciam discerent, atque colerent et ad vsus transferrent, feminae autem prorsus ab huius exularent artis exercitio, et cultu omnino abessent. Verum enim vero alia fuit sequioribus temporibus obstetriciae artis facies, quum virgo quaedam Attica incredibili erga medicinam flagrans amore, eamque addiscendi cupiditate tanta incensa, praecipuam in eo nauavit operam, vt grauidas mulieres felici

62) De Hebraearum obstetricum origine, Lips. 1724.

63) De falsiloquentia obstetricum Hebraearum, Iennae, 1703.

64) De pietate obstetricum etc. Ien. 1744.

65) De arte obstetricia veterum, Lips. 1745.



ci cum successu curaret. Historia sane elegans ab Hygino <sup>66)</sup> ita commemoratur: *Antiqui obstetrices non habuerunt, unde mulieres verecundia ductae interierant: Nam Athenienses cauerant, ne quis seruus aut femina artem medicam disceret: Agnodice quaedam puella virgo concupiuit medicinam discere, quae quum concupisset, demtis capillis, habitu virili se Hierophilo cui-dam tradidit in disciplinam, quae quum artem didicisset, et feminam laborantem audisset, ab inferiore parte veniebat ad eam: quae quum credere se nolisset, aestimans virum esse, illa tunica sublata, ostendebat se feminam esse: et ita eas curabat. Quod quum vidissent medici, se ad feminas non admitti, Agnodicem accusare ceperunt, quod dicerent eum glabrum esse et corruptorem earum, et illas simulare imbecillitatem. Quo cum Areopagitae concedissent, Agnodicem damnare ceperunt, quibus Agnodice tunicam alleuauit, et se ostendit feminam esse. Et validius medici accusare ceperunt, quare tum feminae principes ad iudicium conuenerunt, et dixerunt: Vos coniugis non estis, sed hostes: quia, quae salutem nobis inuenit, eam damnatis. Tunc Athenienses legem emendarunt, vt ingenuae artem discerent.* His quoque suum cal-  
 B 5 culum

66) Fabul. CCLXXIV. p. 201. et Polyc. Frid. Schacher de feminis ex arte medica claris, §. 10. p. 10 sq.



culum addidit CLERICVS <sup>67)</sup> hunc in modum: *La peine, que la plûpart des femmes se font de découvrir aux Mediciens certaines maladies se-crettes, les a obligées de long tems à chercher d'autres femmes, à qui elles pussent en faire confiance, et qui pussent les soulager. On a voulu anciennement leur disputer ce droit; et on s'est opposé en quelques lieux à cet etablissement. Vne ancienne Loi des Atheniens defendoit aux Esclaves et aux Femmes de se mêler de la Medecine, jusque là, que le métier d'accoucher, qu'ils jugeoint dépendant de cet art, ne pouvoit être exercé, que par des hommes. Mais quelques vnes des Dames Atheniennes ayant mieux aimé mourir, que de souffrir, que des hommes les accouchassent, on dit, qu'une d'entr'elles, nommée Agnodice, qui avoit apris la medecine, et l'art d'accoucher d'un nomme Herophile, s'avisa de se travêtir pour secourir les autres; ce qui ayant été decouvert, obligea les Atheniens à faire vne autre Loi, qui permettoit aux femmes de condition libre d'apprendre la Medecine. Post Agnodices tempora plures feminae in arte obstetricia inclaruere apud Graecos, inter quas tantummodo ASPASIAM <sup>68)</sup> nominare*

67) Histoire de Med. p. 432.

68) Vide Petr. Bayle in Diction. crit. sub hac voce, et Anonymi histoire des deux Aspasiaes à Amsterdam 1737. sed Aerii Aspasia probe ab illis distinguenda et junior esse videtur.

nare  
exsta  
tibus  
mensu  
vteri  
sa et  
Quor  
omni  
demon  
alean  
bilior  
ficuti  
non  
se fen  
cepti  
que  
latam  
illam  
medi  
pe q  
obste  
Rom  
artis  
veru  
res.  
tiden  
ram  
quar

69)  
10  
70)



dum: nare liceat, cuius fragmenta apud AETIVM <sup>69)</sup>  
 exstant, de cura praegnantibus, et aegre parien-  
 tibus adhibenda, de foetum corrumpentibus, de  
 mensruis suppressis, de reclinacione, et recursu  
 vteri, de cura circa vteri nomas, de hernia aquo-  
 sa et varicosa mulierum, de condylomatibus.  
 Quorsum autem haec disputo? Quorsum haec  
 omnia? Nullum alium sane in finem, quam vt  
 demonstramus argumentis extra dubitationis  
 aleam positis, artem obstetriciam a feminis no-  
 bilioribus penes Graecos cultam ad Romanos,  
 sicuti vniuersam medicinam, peruenisse, ibique  
 non solum ab ancillis, prouti lex Iustiniani prae-  
 se fert, quae in hoc casu vtique admittit ex-  
 ceptiones, sed et a nobilioribus esse cultam at-  
 que ad vtilitatem sexus sequioris ab ipsis trans-  
 latam. Possem hic CLEOPATRAM, principem  
 illam feminam, ab Antonio adamatam, et in arte  
 medica clarissimam, primo nominare loco, quip-  
 pe quae procul dubio ex penu suo medico et  
 obstetricio etiam thesauros medicos feminarum  
 Romanarum satis abunde ditauit, suoque fonte  
 artis medicae limpido riuulos earum inundauit;  
 verum paucas tantum proferam rei meae fauen-  
 tes. PLINIVS <sup>70)</sup> nominat *Laidem* et *Elephan-  
 tidem*, quae multa de abortu prodidere; *Soti-  
 ram* obstetricem propter curam tertianarum et  
 quartanarum celebratam, *Olympiadem Theba-  
 nam*

69) Tetrabibl. IV. Serm. IV. c. 12. 18. 51. 77. 92.  
101. 102. 106.

70) In Hist. Nat. L. XXVIII. c. 7. 19.



nam propter remedia aduersus sterilitatem laudatam, aliasque. Etsi quidem ex verbis PLINII nihil effici colligique posse quidam autumant, num ingenuae fuerint nec ne, tamen quum scriptis et remediis fama celebratae sunt, veri maxime simile videtur eas fuisse feminas non ex infima plebe et seruili conditione. Maximum autem sententiae meae robur addunt eiusdem PLINII <sup>71)</sup> verba, dicentis: *Obstetricum nobilitas non alio succo efficacius curari pronunciauit corporum pruritus nitro addito, vlcera capitum, porriginis, nomas praecipue genitalium* Sed obstetrices nobilissimas quoque interdum fuisse feminas ex eo liquet, quod THEODORVS PRISCIANVS, QVINTVS OCTAVIANVS quoque cognominatus, suum libellum *de morbis mulierum* inscriptum VICTORIAE <sup>72)</sup> cuiusdam inscripserit nomini, quod sane non factum fuisset, nisi stirpis claritate, doctrinae copia, eruditionis amplitudine et elegantia admodum fuisset commendata, nam veteres tantummodo laudatis viris suos ingenii fetus et feminis conspicuis laudatissimisque offerre consecrareque soliti fuerunt. Neque deest nobis argumentum subsidiarium a *Trotula* petatum, cuius liber *de morbis mulierum* extat, in quo auctor se feminam

atque

71) Libr. cit. c. 6.

72) In edit. Argent. 1532. Qualis fuerit illa femina dici vix potest, praesertim quum aliae Prisciani editiones alio nomine ipsam salutare soleant.

atque  
est  
debe  
veru  
aliis  
tame  
tunc  
se n  
ac p  
liter  
stero

locu  
et a  
obst  
con  
tum  
anir  
tur.  
fem  
dar  
aud

73)  
N  
74)



atque obstetricem jactat; etsi, fatendum enim est quid res sit, hoc pro mero figmento haberi debeat, et Medicum Salernitanum huius libri verum auctorem Vir Ill. GRVNERVS <sup>73)</sup> cum aliis profiteatur atque argumentis euincat; hoc tamen non obstante illud murus aeneus esto: tunc temporis a feminis artem obstetriciam fuisse non solum exercitam, sed etiam ita cultam ac perpolitam, ut et preecepta illius egregia literis mandare sui que nominis gloriam ad posteros propagare potuerint.

### §. V.

#### *Relatio obstetricum ad medicos unde.*

Facili negotio quaestionem cur obstetrices locum inter medicos occupauerint, dirimere et ad eam respondere possemus sic, quia ars obstetricia partem medicinae antiquissimis jam constituerit temporibus. Quare hoc argumentum, per nos liceat, reliquis viam pandat in animos, ut maior certitudo ceteris pronascatur. VLPIANVM <sup>74)</sup> audiamus, qui prodidit feminas quoque medicamentis adhibitis grauidarum in se suscepisse curam: *sed et obstetricem audiant, quae utique medicinam exhibere videtur.*

73) In peculiari commentatione, cuius titulus est: Neque Eros neque Trotula, sed etc.

74) L. I. §. I et seq. π. de variis et extraord. cognit.

*tur.* Quae certe verba, si obiter consideraue-  
 ris, ambigue prolata esse videntur, hunc siqui-  
 dem admittunt sensum, potest medicinam pro-  
 pinare ab alio praeceptam et paratam: refra-  
 gantur autem huic explicationi sequentia sta-  
 tim verba: *Medicos fortassis quis accipiet etiam  
 eos, qui alicuius partis corporis et certi doloris  
 sanitatem pollicentur etc.* Ergo quum medici  
 vere pollicentur et remediis rite adhibitis sa-  
 nitatem procurant, sic et obstetrices idem fa-  
 ciunt, quomodo igitur verba Legislatoris de  
 medico sunt interpretanda; sic etiam de ob-  
 stetrice accipere ea licet. Proinde autem  
 obstetrices et remedia praescribendo exhi-  
 bendoque grauidis, parturientibus et puer-  
 peris praesto fuisse idem VLPIANVS <sup>57)</sup> sta-  
 tuit: *Si obstetrix medicamentum dederit, et in-  
 de mulier perierit, ex Labeone distinguit, ut  
 si quidem suis manibus supposuit, siue pessum  
 subdidit, videatur occidisse; sin dedit, ut mu-  
 lier sibi offerret, in factum actionem esse dan-  
 dam; quod hoc casu causam mortis potius prae-  
 stiterit, quam occiderit.* Subsistamus paulu-  
 lum in explicando hoc loco, qui non solum  
 egregie potest illustrari, sed et nobis fauere  
 remque, cuius defensionem suscepimus, magis  
 magisque confirmare videtur. Docemur enim  
 hac lege, obstetrices esse medicas, eas, si deli-  
 querint ratione remediorum, esse ex legibus  
 punien-

75) L. IX. in princ. D. ad L. Aquil.

pun  
 vili  
 eas  
 neq  
 dor  
 sum  
 rior  
 mer  
 tur.  
 sunt  
 πεσ  
 δια  
 Par  
 rup  
 scel  
 pra  
 φθ  
 imp  
 pro  
 dici  
 me  
 par  
 lita  
 era  
 qu  
 mar  
 can  
 vte

76)  
77)



puniendas, hanc poenam ipsis a magistratu civili esse infligendam, ergo actiones aduersus eas competere, quia sunt ingenuae personae; nequaquam seruae, quae herorum subiectae dominio ab ipsis castigandae puniendaeque sunt. Medicas obstetrices nominandas vteriore probatione non indiget, quum medicamentum dare et pessum supponere dicantur. Iam vero medico sancte haec iniuncta sunt ab *COO* <sup>76)</sup> sene: Ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναῖκὶ πησσὸν Φθόριον δάσω. Ἄγιως δὲ καὶ ὀσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν, καὶ τεχνὴν τὴν ἐμήν. Pariter neque mulieri pessum ad foetus corruptionem subiiciam. Sed castam et ab omni scelere puram, tum artem, tum vitam meam praestabo. Iure quaeritur, quid sit *πησσὸς Φθόριος*? Veniam nos a lectoribus nostris impetraturos esse arbitramur, si obiter haec pro modulo virium illustrare tentemus. Medici veteres *πησσὸς* et *πησσαριά* appellant remediorum formulas, in mulieribus intra vterum, partesque illas, qua sunt feminae, adhiberi solitas. EX PAVLI AEGINETAЕ <sup>77)</sup> opinione erant olim pessi lana pexa, vel aliud quidpiam, quod teres pyramidalis figura, et in digiti humani formam effingebatur, excipiendis medicamentis, quae pro diuerso consilio medici, vtero ad eius affectus necessum videbatur immitti.

76) Vide Iusiurandum in medio.

77) De re medica. L. III. c. 61.



mitti. Alias vocantur *πρόσθετα suppositoria*, aut *subdititia*, etiam *προσθέματα* et *ἐγκολπισμοί*, quod *intra pudoris sinum* applicantur. Haec suppositoria sunt vel *salutaria*, vel *corruptoria*, de posterioribus hoc loco agendum. *Pessus corruptorius* autem dicitur, qui in gravidis tantum, nec alio fine adhibetur, quam quod id, quod utero conceptum est, corrumpatur, vocantur alias *Φάρμακα Φθόγια* et *ἐκβολια eiectoria*. Iam colligo: quibus medici functiones competunt, illae etiam ad eos referuntur; unde iure ad medicos pertinent obstetrices. Quaecumque autem cum medico idem peccatum commisit, iisdem obnoxia quoque poenis est. Iam vero leges grauissimas poenas eiusmodi irrogandas personis sanxerunt, quas hic apponere lubet. VLPIANVS <sup>78)</sup> *mulierem, si visceribus suis vim intulisse constiterit, quo partum abigeret, a praesule provinciae in exilium saltim exigendam putavit, idque temporale tantum debere esse* TRYPHONIANVS <sup>79)</sup> *voluit, si factum fuerit a muliere post diuortium praegnante, nec marito jam inimico filium parere cupiente.* Grauissimas vero seuerissimasque poenas irrogandas esse abortionis poculum dantibus PAVLVS <sup>80)</sup> arbitratus

78) L. IV. D. extrao. crimin. et L. si mulierem D. ad L. Corn. de ficar.

79) L. XXXIX. D. de poenis.

80) L. XXXVIII. D.

tratus  
mali  
amissio  
homo  
vit.

Grati  
simplic  
runt.

NIAN

quod a

tum si

lis da

maiori

huculo

nostran

enim j

tur, q

ratissim

ta, qu

tum i

lam ve

est ora

tricibu

summo

sacratif

1) In

2) In

3) L.



tratus est, licet dolo non faciant, tamen quia  
 mali exempli res sit, honestiores in insulam  
 amissa parte bonorum relegari, sin mulier aut  
 homo eo perierit, summo supplicio affici decre-  
 vit. VALENTINIANVS <sup>81)</sup> vero, Valens et  
 Gratianus infantis necandi piaculum aggressos  
 simpliciter supplicio capitali puniendos censue-  
 runt. Et CICERO <sup>82)</sup> atque ex ipso TRYPHO-  
 NIANVS <sup>83)</sup> commemorarunt, mulierem Milesiam,  
 quod ab heredibus secundis accepta pecunia par-  
 tum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capita-  
 lis damnatam. Abstinemus a compilatione  
 maiori scriniorum Iurisperitorum, quum quae  
 hucusque a nobis fuere dilucidius proposita  
 nostram legem optime interpretentur. Si  
 enim jam alii poena grauissima digni censentur,  
 qui pessis procurandis et applicandis paratissimi  
 sunt, quae et qualis illis imminet multa,  
 qui manibus suis indunt, et necando foetum  
 illas innocentissimo polluunt sanguine. Nam  
 vero reuertimur in viam, vnde digressa  
 est oratio, atque addimus, hanc poenam obstetricibus  
 impositam a magistratibus exigendam summoque  
 rigore esse exsequendam, quia sunt sacratissimarum  
 legum custodes, salutisque publicae

81) In L. poen. C. ad L. Cornel. de Sicar.

82) In orat. pro A. Cluentio, cap. 32.

83) L. cit.

blicae curatores, vitaeque eiuum seruatores optimi. Quibus ex omnibus denique hoc sequitur vltro, aduersus obstetrices propter male facta competere actionem, ipsis dicam esse scribendam, atque dicta causa eas damnandas, quia tanquam ingenuae personae deliquerint, quae non nisi implorato auxilio magistratus poenas promeritas luere tenentur. Si diutius commemorandis delictis inhaerere vellemus, ipsi aduersus modestiam delinquere et peccata erga lectores non adeo leuia comittere videremur, quare nihil amplius addimus, quam quod obstetricibus, illis medicorum fidis comitibus, nonnisi honorificum ac iucundum esse potest: Eorum enim memoria ad posteros adeo honoris testificandi atque cultus prosequendi gratia per *inscriptiones* propagata, si in medicina facienda rite sunt versatae; sic enim apud **GV-DIVM**<sup>84)</sup> mentio fit medicae a mammis sic:

TORELLIA T. L. MELANIONA  
MEDICA. A MAMM.  
ANN. XL. SE. VIVA. FECIT. ET  
VRN. MARMOR. POSVIT.

Ingenue quidem fateor me operosa quidem disquisitione cognoscere non potuisse, num haec TORELLIA fuerit obstetrix, quum autem mammarum cura partem artis obstetriciae et morbum grauidarum et puerperarum

84) Inscript. CCXXIII. 6.



constituit, me non longius a veritate aberraturum esse arbitror, si coniciam eam fuisse obstertricem ingenuam, et animi dotibus, medendique arte, nobilitatam et condecoratam.

### §. VI.

*Aestimatio medicorum et obstetricum non ad ingenuos spectauit.*

Rite omnibus, vti quidem nobis persuademus, pensitatis, tractatis, et fere absolutis, quae super hoc argumento nobis ante oculos obuersabantur, ad aestimationem deuenimus in lege sic expressam: *aestimari volumus medicos et obstetrices sexaginta solidos.* Ne tirones quidem historiae Romanae et antiquitatum fugit, solidos viginti vnam efficere libram, vnde supputando colligitur sexaginta solidorum siue trium librarum pretium, vile satis pretium medicorum aequae ac obstetricum fuisse. Quae quum ita sint, eum omnis sanae rationis vsum paene perdidisse existimo, qui statuat atque contendat omnes medicos et obstetres tam paruo et vili venisse pretio, siue omnes seruilis fuisse conditionis; aut enim statuamus Romanos fuisse erga artes liberales iniquissimos, vt quaedam pro ignominiosis habuerint, aut ingrattissimos erga strenuos illarum cultores, quod tamen nemo asserere audebit. Nam Romanos et

literarum fuisse amantissimos res ipsa loquitur, et illos remuneratos esse egregie eos, qui de eorum salute et vita bene meruerint, ingenti statuarum, monumentorum copia et honoribus publice exhibitis, praemiiisque largissimis datis, comprobatur. **PLINIVS** <sup>85)</sup> quanta auctoritas valuerit medicorum apud Romanos, quanti quot annis meruerint, et quantas comparaverint sibi opes, exponit hoc modo: *Multos praetereo medicos, celeberrimosque ex iis Cassios, Calpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios CCL HS. annua mercede iis fuere apud principes. Q. vero Stertinius imputavit principibus, quod HS. quingenis annuis contentus esset: sexcenta enim sibi quaestu urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par et fratri eius merces a Cl. Caesare infusa est: censusque, quamquam exhausti, operibus Neapoli exornata, haeredi HS. CCC reliquere, quantum ad eam aetatem Aruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus, pariterque eloquentiae affectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam. Eadem aetas Neronis principatu ad Thessalum transfiliuit, delentem cuncta maiorum placita, et rabie quadam in omnes aevi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, aestimari vel vno argumento abunde potest, quam monumento suo, quod est Appia via, Iatronicem se*

*in scri-*

85) In. Hist. Nat. L. XXIX. c. I.

*trig-*  
*quan-*  
*tior*  
*meri-*  
*seru-*  
*que*  
*bus*  
*stru-*  
*hi*  
*tant-*  
*gnu-*  
*in le-*  
*rum*  
*omn-*  
*haer-*  
*lum*  
*men-*  
*rum*  
*cont-*  
*buer-*  
*est.*  
*fuit*  
*med-*  
*pulu-*  
*ris f-*  
*relic-*  
*rent-*  
*dom-*  
*que*



*inscripserit. Nullius histrionum equarumque  
 trigarii comitator egressus in publico erat:  
 quum Crinas Massiliensis arte geminata, ut cau-  
 tior religiosiorque ad siderum motus ex ephe-  
 meride Mathematica cibos dando, horasque ob-  
 seruando, auctoritate eum praecessit. Nuper-  
 que centies HS, reliquit muris patriae, moeni-  
 bus quoque aliis paene non minori summa ex-  
 structis. Haec animo meo perpendens vix mi-  
 hi persuadere possum quemquam Quiritium  
 tantopere insaniisse, ut hominem adeo ma-  
 gnum quotannis lucrum acquirentem, vili sed  
 in lege Iustiniana constituto, sexaginta solidor-  
 um pretio venderet. Fingamus interim  
 omnes medicos fuisse seruos, qui factum est, ut  
 haeredes scribere potuerint, quum seruus nul-  
 lum poterat ex iure Romano condere testa-  
 mentum. Si medici fuerunt serui, sane eo-  
 rum libertas ita circumscripta fuit, ut in alios  
 conuitia et calumnias impune vibrare non de-  
 buerint, quod tamen apud Plinium factum  
 est. Si medici fuerunt serui, ipsis nequaquam  
 fuit permissum, ponere sibi monumenta. Si  
 medici fuerunt serui, qua ratione Senatus Po-  
 pulusque Romanus, qui et gloriae et hono-  
 ris fuit studiosissimus semper, pecuniam ipsi  
 relictam eo consilio, ut moenia, ut muri exstrue-  
 rentur, adsumere potuit, quae vi legum ad  
 dominum redire debebat. Itaque quaecun-  
 que hucusque a nobis litteris consignata sunt,*

eo

eo potissimum tendunt, ut doceamus, legem  
Iustiniani de medicis esse justo modo circum-  
scribendam limitibus, et ab ea medicos et  
obstetrices nobiliores esse excipiendos, neque  
subiiciendos aestimationi, quum officia eorum  
non sint seruilia, sed amica et libero ingenuo-  
que homine digna, et toti generi humano  
salutaria. Iam vela contraho, me enim super  
hac re satis dixisse sentio, et si non ubique  
rem acu tetigerim, id humanissimos lectores  
exiguitati ingenii mei tribuant velim, meque  
excusatum habeant, etiam atque etiam ob-  
testor.



gem  
um-  
s et  
que  
rum  
uo-  
ano  
per  
que  
ores  
que  
ob-

5



Ma 1738

S

ULB Halle

3

005 311 756







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

# M E D I C V S V T R I V S Q V E S E X V S

A D

I V S T I N I A N I L . I I I . C . C O M M  
D E L E G A T

I L L V S T R A T V S

A

C A R O L O A V G V S T O S C H E I B I O

Z I T T A V . L V S . M . C



L I P S I A E ,

A P V D V I D V A M I . G . B Ü S C H E L I I ,

M D C C L X X X I .

Ma 1738